



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

De administratione Sacramentorum. Cap. 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

CAP. XXVI. *Quid recitandum, finita concione.*

**D**Ebet quoque, finita concione, Decalogus ac Symbolum fidei & succincte & exerte recitari; illa quoque exomologesis ac publica peccatorum confessio, cum imploratione misericordiae Dei, pure ac distincte pronunciari, ac moneri populus, ut eisdem verbis Sacerdotem pronunciantem subsequatur; ac deinde recenseri consolatoria imprecatio remissionis peccatorum, ut populus, dejecto, contrito, humiliato animo ac toto corde, cum Presbytero accingatur ad mysterium redemptionis suae (quod in Altari tractatur) contemplandum, fructumque Dominae passionis, quae in Altaris mysterio commemoratur repraesentaturque, participandum.

CAP. XXVII. *Quomodo, finita concione, populus excitandus ad orandum pro defunctis.*

**C**um multum plerumque temporis, parvo cum fructu, teratur in recensendis singulatim defunctorum nominibus, ubi viritum pro quolibet exigitur una oratio Dominica, idque interdum non citra suspensionem vel quæstus vel ambitionis fiat: Nobis potius videbitur, ut populus ad communem pro defunctis orationem pie ac devotè dicendam accendatur, & hæc genealogia intermittatur. Super qua re tamen, quod ad morem Civitatis Nostrae Colonienfis attinet, & cum Parochis & cum Senatu latius agere non omittemus.

P A R S S E P T I M A.

CAP. I. *De administratione Sacramentorum.*

**E**cclesiæ Catholicæ usus, septem mysteria (quæ Sacramenta appellantur) observat; veluti septem quædam parata remedia, per quæ Deo visum est peccatis nostris mederi, ac nobis gratiæ suæ salutaris medicinam (diversa tamen ratione) infundere. quæ sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ cur à Christo & Ecclesiâ instituta sint, & à veteribus Sacramenta peculiariter appellata; deinde, quæ illorum sit per gratiam Dei efficacia & virtus; nunc non est dicendi locus. Tantum admonebimus in præsentia Parochum, quæ illum circa dispensationem singulorum observare conveniat.

CAP. II. *Instruendus populus, quid agatur in cujuslibet Sacramenti exhibitione.*

*Aug. lib. de doct. Christ.* **Q**Via igitur in Sacramentis aliud videtur, atque aliud agitur; instruendus est populus in cujuslibet exhibitione, quid in hujusmodi Religioso arcano (id enim Sacramentum sonat) agatur. Cum enim in Sacramentis istis per signa quædam sensibilia infundatur insensibilis gratia, congruens externis signis; excitanda est fidelium fides & devotio in Deum, ut, credentes, ac divinum mysterium intelligentes, ad Dei ac Salvatoris nostri Iesu Christi participandam gratiam accedant. Quod fiet, cum Parochus, sub administrationem cujuslibet Sacramenti, sacra concione populum breviter admonuerit, quid in ea re agatur.

CAP. III. *Quid agatur in Baptismo.*

**E**T ut de sacro Baptismo exordium capiamus, docendus est populus, quod illic aboleatur vetus homo, remisso omni peccato, atque novus exoriatur, ab omni labe purgatus per fidem in Christum: quod illic, qui baptizatur, lavetur lavacro regenerationis & renovationis Spiritus sancti in Sanguine Christi pro nobis effuso: quod illic veterem Adam exuimus, ac vicissim Christum induimus, conscripti cum illo per Baptismum in mortem, ut, quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: quemadmodum hæc Enchiridion latius edocebit.

*Galat. 6.*

*Ti. 3.*

*Rom. 6.*

CAP. IV. *Cujus sint admonendi Susceptores infantis.*

**S**usceptores infantis (Patrini qui dicuntur) Smerito admonentur, quod ipsi sint, qui, Ecclesiæ nomine, & in Ecclesiæ fide, Christo parvulos offerant per Baptismum, ac se prope modum pro parvulis fidejussores constituant, nomine parvuli respondententes: quem etiam, postquam adoleverit, Symbolum simul & Orationem Dominicam edocere, atque vitam Christo ac professione in Baptismo factâ dignam perpetuo agere, saltem ubi id necessitas poscere videbitur, cohortari non omittent. proindeque malumus, illos deliqui propectæ ætatis, quam impuberis; ne videatur infans infantem offerre, ac sponsorem se Deo pro alio constituere, qui, quod promittit, non intelligat; ideoque multo minus, quod non intelligit, docere queat.

*c. vos ante omnia, de cons. dist. 4.*

CAP.